Sigismundus tertius dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae,
Samogitiae, Livoniaeque etc. necnon regni Sueciae proximus haeres et futurus Rex

Significamus praesentibus literis nostris quorum interest universis et singulis. Quod cum intellexissemus postulare id rationes Nobilis Nicolai Tassyczki, villarum nostrarum
Przysieki, Przysieczki, Siedliska et Pusta Wolia in districtu Bieciensi sitarum Tenutarii, ut easdem villas Generoso Stanislao Tassyczki parenti suo in arrendam locare,
eiusdemque arrendae nomine inscriptionem facere possit. Supplicassetque nobis, ac pro eo certi Consiliarii nostri, praecipue vero Ill[ustri]s et magnificus Joannes de Zamoscie Re-
gni nostri Cancellarius et Exercituum Generalis Capitaneus, ut ad id consensum illi nostrum praebere dignaremur. Nos consultum cupientes rebus ipsius hunc prae-
sentem consensum nostrum ipsi concessimus, concedimusque literis hisce nostris. Quo quidem consensu nostro accedente, praefatus Nicolaus Tassyczki habiturus est plenam
facultatem villas praefatas nostras memorato Generoso Stanislao Tassyczki patri suo ad triennium arrendare, inscriptionemque super eiusmodi arrendam coram quovis
officio regni nostri facere, sine tamen praeiudicio detrimentoque eorundem bonorum, et insolitis oneribus colonorum, de quo cautum omnino esse volumus, atque eam ipsam
arrendam inscriptionemque, postquam per eum facta et recognita fuerit, nos et successores nostri ratam et gratam habebimus. Iuribus tamen nostris Regalibus in eo sal-
vis. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas, sigillo regni nostri communiri mandavimus. Datum Varsoviae die XX mensis Ianuarii. An-
no domini M° D° XC Primo. Regni nostri anno quarto.

Sigismundus Rex



Alienum Z.O. № 25

Non necessaria

P Taszycko

Consens, na Arendę Wsi, Przysieki, Przysieczek, Siedlisk, y Pustey woli. w Powiecie Przemyskim Jm Pu Mikołaiowi Taszyckiemu ad Cedendum Synowi swemu tychże Dobr. a Sigismundo Rege Poloniae Datus

1591 d. 20 Januarij

23

№ 57

K. 131